









DEO  
plantante & incrementum dante,  
CONSENSU  
Magnifici & gratiosi Senatus  
Asclepiadei  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI

Gustav Ranter,  
2.11.1890.

29.  
1670, 18  
23

*Nobilissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi*  
DN. JOHANNIS ARNOLDI  
FRIDERICI, Phil. ac Medic. Doctō-  
ris, Anatomiae, Chirurgiae ac Botanices P. P. celeberrimi, horti Medici Praefecti, Medici Provincialis Saxo-Altenburgici felicissimi, ac p. t. Facultatis suae Decani spectatissimi,  
*Domini Praeceptoris, Patroni ac Promotoris sui avum venerandi,*

A L O E N

*publicae Florae cultorum censura  
exponit*

GOTHFREDUS Beier / Jenensis,

A U T O R.

ad d. Mart. M. DC. LXX.

in Auditorio Medicorum.

---

J E N Æ,

Typis JOHANNIS WERTHERI.









# JOVA TRIUNE JIVA!

## CAP. I

### nominalem ac realem Aloes Definitionem aggreditur.

#### §. 1.

**D**incipium cujusvis disputationis rei nomen esse debere, consulunt *Galenus & Scalliger in Exercit. 359*. Ut etiam horum consilio sequamur, nostræ aloes DEFINITIONEM NOMINALEM præmittere necessum putavimus, cum hic multum faciat, antequam realem aggrediamur; Dilucida enim vocum enucleatio genuinum parit sensum, & ipsam rerum intelligentiam.

§. 2. Absolvitur autem nominalis tractatio tribus requisitis, Etymologiâ nimirum, Homonymiâ & Synonymiâ.

§. 3. ETYMOLOGIA primò se examinandam præbet. Nomen τῆς αἰλῆς Græcam sapit originem, sed postea latina civitate donatum. Αἰλὴν *Pena* non ignotus Autor vult deducere ἀπὸ τῆς αἰλῆς, i. e. à mari, quia natale solum sit in locis maritimis, alii ἀπὸ τῆς αἰλῆς, i. e. à sale, quia multum salis in se contineat.

§. 4. Etymologiam sequitur HOMONYMIA, & nunc sumitur Aloe mysticè, nunc physicè. *Mysticè* in sacro codice vel pro evangelio de Christo *ἡ αἰλὴ* eius.



ejusque beneficiis odorem gratiæ spirantibus, & animas  
divinæ iræ legisque tonitruo territas refocillantibus, *Psal.*  
*49. v. 9.* Myrrha, & aloë & casia à vestimentis tuis; *vel* pro  
Evangelistis seu prædicantibus beneficia ejusmodi odo-  
rifera, ibidem: (confer *2. Cor. 2. v. 15.*) *vel* pro Christianis  
huic Evangelio, & his Evangelistis credentibus, & pro-  
pterea Christo confidentibus *Cant. 4. v. 14.* Ita comparan-  
tur Cypri cum nardo; nardus & crocus, fistula & cin-  
namomum cum universis lignis Libani, myrrha & Aloë  
cum præcipuis aromatibus. Ast hæc Theologis de-  
fendenda relinquimus vid. *Crellius in Promptuario Bibli-  
co edit. nova fol. 244.*

§. 5. *Physicè* sumitur *vel* *impropriè* *vel* *propriè*. *Im-  
propriè* (1.) pro aloë minerali seu metallica, cujus exi-  
stentiam *Niger* teste *Dioscor. in Prefat. libr. 1.* affirmat,  
sed *Dioscor. l. c. & Galienus ab Horto libr. 1. cap. 2.* ne-  
gant. *Plinius libr. 27. cap. 4.* negativam tueri senten-  
tiam videtur. (2.) pro arbore thymiatica. (3.) pro  
arbore myrrhæ seu *ωρὸ τῆς σακτῆς*. *Ἡν σακτὴν* malè red-  
diderunt 70. interpretes, cum enim *σακτὴ* derivetur  
*ἀπὸ τοῦ σακεῖν*, stillare guttatim, delibare lachrymas,  
flere, habere caput sudore stillans, & notat quasi myr-  
rham guttaciã seu stillatitiã, quæ myrrha est pinguis-  
simus liquor, proveniens ex myrrha recenti expressa, &  
per se unguentum constituit, vid. *Diosc. libr. 1. cap. 75.*  
(4) pro sandalo, sed præter odorem fermè nullam cum  
aloe convenientiam habet. Sandalum quidem flavum,  
(cum tria dentur genera sandali, nimirum rubrum,  
flavum & album,) spirat odorem, sed non talem fragran-  
tem, qualem aloë. (5.) pro agallocho seu Xyloaloe,  
uti sumit *Dioscor. libr. 1. cap. 21.* ob convenientem odo-  
rem & virtutem, inde sæpius à medicis loco aloës præ-  
scribitur; pretiosissimum agallochum in India nasci  
scri-



scribit *Garzias ab Horto aromat. & simpl. medicam. libr. 1. cap. 16.* A quibusdam pro Sratote palustri habitam falsò tamen fuisse explicat *Hoffmannus de medic. officinal. libr. 1. cap. 3.*

§. 6. STNONYMIAM quod attinet, audit Aloe Hebræis תִּלְתָּן ab extendendo, ut תִּתְּן tabernaculum, cum de se multa spargat folia & ramos, latiusque odorem spiret. *Psal. 45, 9.* in textu Ebraico legitur תִּתְּן Aloe; ubi Targum vertit תִּתְּן לִּשְׁמֵרָה in Masculino lignum Aloes. Syris audit ܐܠܘܐ Æthyopibus 𐤀𐤋𐤀 Arabibus, Turcis, Persis Cebar, vel præpositò articulò Azibar. vid. *Magnifici Dn. D. Rolfinii, Patroni mei magni tract. de purgant. vegetab. sect. 2. articul. 2. cap. 3. p. 28.* Mauritanis Saber, sive Sabar, Baber, Hispanis Hierva babosa, seu Fily agulla i.e. filum & acus ob similitudinem; cum enim tota aloë constet ex filamentis, ex quibus texuntur vestimenta & funes, & etiam in acum desinat, multis enim est armata spinulis. Græcis Ἀλόη, Ἀμφίβιον, quia aloë extra terram matrem potest virere & florere; videatur *Dn. D. Rolfinius l.c. θυμίαμα*, cum etiam ad suffimentum usurpetur. Italis Aloe, Gallis perroquet; Bohemis Aloe; Latinis Aloe, Semper vivum, cum totà hyeme & æstate usque ad suum interitum in suo permaneat vigore; sed sempervivum sumitur hîc strictè pro Aloe, cum enim aliæ dentur herbæ semper viventes, item plantæ, ut jucca, arbores, ut taxus & sabina. Linum Indicum dictum, quia ex ejus filamentis vestimenta & linteamina nentur, teste *Magnifico Dn. D. Rolfinio l. c.* Eryngium etiam, quia aloë cum eryngio spinas communes habeat. Orminium, quia orminum ut aloë altiorem obtineat caulem, & tales aculeatas eminentias. Tragocerata, quia hircini cor-



na formam repræsentat; respondent enim non malè aloes folia cornuum formæ ac figuræ secundum quid. Sedum amarum *Columella* teste *Dodoneo*. Germanis dicunt *Alloe/* oder *bitter Alloes/* oder *Allepatie*.

§. 7. Eucleatò nomine Aloes, perlustrabimus rem ipsam. Cùm verò definiri non adeò benè queat, sequentem *descriptionem* substituere commodiùs videtur.

§. 8. Est autem Aloe planta exotica, aromatica, odoris fragrantissimi, dulcioris in floribus, proveniens à radice mediocriter succulenta ac fibrosa, foliis subviridibus ex lato in acutum desinentibus ac aculeatis copiosis superbiens, tractu temporis in magnam molem ac robur excrecentibus, caulem impletis annis debitis in medio foliorum emittit rotundum, pyramidalis figuræ, copiosos ramos undiquè spargentem, in quibus copiosissimi flores germinant. Sapor succi florum subdulcis, succi autem expressi aut exstillantis amarus, qui variis vacuandi & alterandi viribus præditus.

§. 9. Cum dicimus Aloen esse odoris fragrantissimi, intelligendum est præcipuè de solo natali proprio, ubi odor fragrantissimus, in nostra regione minorem spirat odorem, cum vis caloris non adeò efficax. Non contradicunt illi, qui scribunt, aloen esse gustu horribilem & amarissimam, quia de succo expresso, aut eo, qui per exstillationem colligitur, intelligunt. Aloes Slibensis succus in floribus collectus gratum saporem ac dulcem exhibuit, de quo dicemus in capite sexto.

## C A P. II

natale solum, modum colendi  
& crescendi ostendit.

§. 1.



§. 1.

**I**sidorus Hispal. Episc. orig. libr. 17. cap. 8. p. 150. col. B. Bauhinus ad Dioscor. & Isidor. libr. 17. cap. 8. Matthiob. comment. ad libr. 3. Diosc. cap. 22. p. 506. Platerus & nos cum iis Aloes natale solum adscribimus locis maritimis Arabia, Asia, India, & Persia Insulis, ut Andro. Die Aloe ist ein Gewürzbaumlein/ so in India und Arabia gezeugt wird/ dessen Holz man zum Rauchwerk zu brauchen pflegt; Hæc Isidorus l. c. Recenset Bauhinus l. c. quod sit arbor odoris suavissimi ac summi, in India & Arabia gignatur, cujus succus pellibus inclusus ad nos deferatur. Nascitur in India & Arabia, in locis quibusdam maritimis, sunt verba Diosc. l. c. Scribit Platerus hanc herbam (aloen) in India & Persia & aliis locis plurimis reperiri, ejus succum exprimi & exsicari. Non tantum in his dictis regionibus reperitur, sed etiam colitur in America, Apulia, Hispania, Europa, Germania, imò & in nostra vicinia. Hinc duplicem cum aliis constituit Carolus Clusius in curis poster. unam Indicam ex India orientali, alteram Americanam. Hanc à priori in eo differre statuunt, quod in apice foliorum, ac interdum lateribus, sit spinis ex purpureo nigricantibus prædita, quæ idè Hispanis Fily Agulla, filum & acus appellatur. Optima gignitur in Cambega & Bengala; Omnium tamen decantatissima in Insula Socotora, à freto maris Erythræi 121. leucis distante. Nullius splendoris esse aloen gallicam, gentiana quæ vocatur, ostendit Hummelberg. com. in L. Apuleg. de medic. Herbar.

§. 2. Varius modus herbarum est proveniendi & propagandi, colendi & crescendi. Aliæ spontè & voluntariè proveniunt, absque ulla sollicita cura hominis, & tamen crescendi terminum attingunt; aliæ propa- gan-



gantur per radices, flores, folia, semen & fructus, & transplantantur in aliam terram sedulâ adhibitâ culturâ.

§. 3. Nostra Aloe non spontaneò provenit & generatur, sed propagatur præcipuè per radicem; mediante semine produci asserunt quidam, quia omnia ea, quæ semen ferunt, semine gignantur, teste *Erisio in histor. plantar. libr. 21. cap. 1.*

§. 4. Culturam requirit diligentissimam, & accuratam magis, quàm aliæ plantæ ex Indiæ locis ad nostras regiones devenientes, quarum culturam cum curiosè satis exhibeat *Joh. Baptista Ferrarius in cultura florum*, ex eo quoque peti queunt, quæ ad conservationem spectant. Calorem ac humectationem medio-crem ut æstivò tempore amat, ita frigus hyemale ac humiditatem planè averfatur. Ex recensione hortulani Slibensis habemus, quod ante aliquot annos aloe illa, quæ præteritò annò floruit, dum hyeme asservata fuerit in loco aliàs probè munito, & decenti calore fornacis indies fomentatò, nihilò seciùs valdè putrescere inceperit, de causa sollicitus hortulanus, denique observavit, sub pavimento, in quo stetit, fluere aquam ex puteo eò derivatam, in exhalationes hujus causam rejecit, & postquam removit aloem ab eo loco, brevi à putredine planè ac plenè liberavit. Hæc de cultura aloes plantæ dicta sunt.

§. 5. Propagatio tenellorum furculorum circa radicem appendentium ac proplantatio tempore plenilunii optimè fit, committenda terræ arenosæ, paulisper & mediocriter pingui.

§. 6. Altera species, cujus ex *Diosc.* ac *Plinio libr. 24. cap. 4. histor. natur.* meminit *Hoffman. l. c.* quæ *Fossilis* appellatur, quemadmodum agaricus fossilis, jam  
à no.



à nobis non tangenda , cum ipse hic Autor nondum comparuisse hanc speciem affirmet.

### C A P. III

## quantitatem continuam ac discretam examinat.

#### §. I.

**A**Loes QUANTITATEM certam ac in omni æqualem delineare & determinare non valemus, cum variet secundum loca, ætatem & tempus. In locis calidioribus majora, longiora & latiora evadunt folia, sed si ad maturitatem & caulis emissionem planta pervenerit, tunc non eandem magnitudinem, longitudinem & latitudinem obtinent folia, sed alia produnt, inter quæ provenit caulis, & ita minuuntur. In nostra regione non ita longæ, altæ, magnæ & latæ deprehenduntur, quàm in orientalibus, quia calor est his proximior.

§. 2. Aloen Slibensem (quæ est Americana) si rectè consideravimus, habebat illa folia, quorum quædam inferiora ulnas tres cum dimidia in *longitudine* adæquabant, & *numerabantur* dum florebat 164. *Latitudo* propè basim palmam majorem superabat, *crassities* etiam in exortu spithama mensurabatur. Quoad *consistentiam*, ligneam quandam duritiem ostendebat, ita ut virum robustum insistentem sine læsione sustineret. *Caulis* decem ulnas cum tribus quadrantibus in longitudine habebat, *crassities* propè exortum in circumferentia ad ulnam unam cum quadrante se extendebat, *crassities* autem circa primi rami emissionem erat ulnæ dimidiæ cum quadrante dimidio. *Rami* floriferi validi satis,

B

præ-



præcipuè, qui prius exiverunt, tanti roboris, ut unus horum hortulanum virum validum satis insistentem intrepidè sustineret. *Longitudo* horum inferiorum unius ulnæ cum dimidio erat, *crassities* mediocris, in superioribus sensim ac sensim hæc omnia imminuebantur. *Flores* digitalem longitudinem servabant.

§. 3. Quo autem curiosus Lector copiosius suum desiderium adimplere queat, adnectere hîc lubuit numerum ramorum, in iisque superbientium florum.

Ramus	Flores	Ramus	Flores
1	52	17	168
2	152	18	152
3	113	19	165
4	200	20	132
5	170	21	140
6	203	22	109
7	221	23	115
8	215	24	90
9	203	25	72
10	219	26	88
11	220	27	74
12	223	28	56
13	205	29	68
14	213	30	38
15	192	31	48
16	199	32	30

Corona 65.

Summa

4 6 1 0.

§. 4.



§. 4. Quantitati continuæ DETERMINATAM aloes plantæ subjungimus; nempe numero una est, verum multinomyma; Dispersimus tamen eam in vulgarem & Americam, & ita duplicem agnoscimus. *Dioscor. libr. 3. cap. 23.* confundit aloen cum scylla, quoad folia, cum tamen foliorum similitudo principaliter non conveniat; cum albucio quoad caulem & florem, cum tamen aloes flores flavescent præcipuè; cum asphadelo, quoad semen. *Lonicerus in herbar. part. 5. & ult. p. 159.* cum *Plinio libr. 27. cap. 4.* adstipulant Dioscoridi, illius verba hinc adducere licebit: Aloe wächst viel in Griechenlande/ also daß man des braunen oder leberfarben gedorten Saffts große Hauffen hat/trägt feyeste/große/dicke Blätter/wie Haufwurk oder Merckstiebel/ scylla genand/ die haben zurings etliche wenige kurze Stacheln/bringen einen Stengel mit weißen Blumen.

§. 5. Tres aliàs aloes recensentur species, quemadmodum etiam succi expressi hoc modo denominationem distinctam suscipiunt, *Succotrina* nimirum, quæ in Insula Succotera colitur, & est optima in præscribendis formulis; *Epatica*, quia ejus succus, cum coagulescit, repræsentat epar, vel quia hepatis venas & arterias aperiat; & *caballina*, quia ejus succi usus degeneravit in abusum, veterenarii olim hinc usi fuerunt ad purgandos equos & caballos.

§. 6. Afferimus tamen unam & eam aloen esse optumam, quæ in Socotrina reperitur, quia est melioris notæ, majoris virtutis, & illius succum melius sol excoquere potest.

B 2

CAP.



CAP. IV  
temperamen, figuram & colorem considerat.

§. 1.

**A**Loes TEMPERIEM quoad, eam esse calidam in gradu primo intenso, in secundo remisso, & ficcam in tertio asserimus cum *Galeno 6. simpl. 12. Aegineta libr. 7. Aetio Tetrabibl. prim. serm. secundo. Mesue autem citante Fallopio de medicam. purgant. simpl. cap. 32. p. m. 121.* vult aloen esse calidam in secundo ordine, ècontra *Lo-nicerus l. c.* adscribit aloè temperamentum calidum & ficcum in gradu secundo. Sed si horum sententias æquâ lance perpendimus, eos rectè sensisse dicimus, si distinguitur inter aloen herbam & aloen succum, ut & inter succum viridem & exsiccatum. In herba propter copiosam humiditatem & alias qualitates caliditas minor, ut & in succo viridi, validior ècontra calor, ubi succus exsiccat. Virides autem herbas & succos ob adjunctam humiditatem minus calere, usus medicus affirmat, viridia enim talia semper in dupla dosi præscribuntur respectu siccorum. Rectè itaque *Hoffmann. l. c.* ex *Galeno* asserit calidam esse in gradu primo intenso vel secundo remisso, ficcam autem in tertio. Quam temperaturam succo similiter adscribit *Sylvius libr. 1. de simplic. medic. natura.*

§. 2. Secundæ ac reliquæ qualitates in capite de viribus recensendæ erunt.

§. 3. Omni in plantarum genere *forma* semper spectanda venit, cum illius cognitio nos certiores de natura faciat. Sed ea forma, vegetabilis nimirum, sola  
hic



hic non est intelligenda, quam omnes possident planta, sed externa & interna figura ac facies hujus vel illius planta, quam repræsentat.

§. 4. Nostræ aloes FORMAM jamdum depinximus: quod à radice nodosa, mediocriter fibrosa, lignosa ac succulenta proveniant folia fibrosa, lignosa, longa, lata, versus terram inclinantia & in cuspidem desinentia. Protrudit caulem pyramidalem seu lanceæ similem, cui adnati sunt rami brachia & manus repræsentantes quoad quandam analogiam, in quorum cacumine apparent flores, exterius viridiusculò, interius suaviter luteò superbiunt colore; pedunculi quidam quasi lanceolati in medio eminentes magis ornant, & hinc fortean placuit quibusdam cum liliæ flore comparere, accuratius fortean ac si cum nymphææ albæ aut juccæ floribus in forma externa convenire dicatur.

§. 5. Notandum tamen judicamus, flores non ubique & in omnibus æquales reperiri, qui enim flores choræ salizianæ, anno 1663. d. 21. Maji signa florum exhibentis, consideravit, cum Slibensis floribus non æquales fuisse notum habebit, cum illius flores cum juccæ floribus haud levem convenientiam habuerint, secus ac hujus, ut taceamus varietatem eam, quam in florentibus Italicis ac Gallicis à multis curiosis observatam ex scriptis & recensione hausimus. Mutatio talis ac varietas, an temporis crescendi & tunc vigenti calori, cum humiditate nunc majori, nunc minori conjuncto; an fortean loco natali, ex quo adducta, distincto, an ætati adscribenda? unicuique perpendendum linquimus, opinionem nostram ad literarium conflictum usque suspendentes.



## substantiæ examen instituit.

## §. 1.

**S**UBSTANTIAM accuratiùs intuentes in aloe, ad lignum quid tendit, hæc cum ex antecedentibus satis confet, pauca hîc sufficere queunt. Si folia apprehendimus, deprehendimus ea dura & crassa, multis fibris vel filamentis prædita, ex quibus congestis subtiliora componuntur linteamina & texuntur funes, quibus navigatores sæpiùs uti solent. Caulem si tangimus, sentimus ligneum, cujus proventus mirus est; cum enim aloe ad maturitatem sit perventa, folia majora media cum impetu ac strepitu disrumpunt, & proferunt alia, sed tenera, quæ angustè & acutè in altum surgunt, minantia caulem. Quarto vel quinto ab exclusione die ostendunt caulem, qui brevi temporis spatio tantum coram hominibus mirantibus ac rimantibus suscipit incrementum, quantum in aliis non observatur, subito licet crescentibus, cujus lateribus non unò statim die, sed subsequenti- bus adnascuntur brachia seu ramusculi incurvati, impari numeri in omnibus ab imo ad summum numerantur. Rami scapum deorsum incurvant, sed in extremitate assurgunt, ferunt uteros floriferos instar digitorum erectos, pariunt leni auræ motu atque calore solari suaviter æstuante innumeros flores flavos; Purpurascens tamen flores vidit *Dioscor. libr. 3. cap. 22.* Omnis flos ab extra sex sub viridibus decoratus foliis excludit intus sex filamenta flavò colore picta, & in mediò continet pistillum.

## §. 2.



§. 2. *Ortum* ejus non est ut repetamus, cum in-  
anterioribus explicatus. Certam aloe *etatem* non pos-  
sumus dicere, cum variet secundum regionem & loca;  
in calidis locis se ad paucos annos extendit, & citius ma-  
ter florum fit quàm in frigidis; alia agit annum trigesi-  
mum quintum vel quadragesimum, alia quinquagesi-  
mum, antequam fiat matura;

§. 3. Aloe Slibensis jam dudum flores promise-  
rat, tandem præteritò annò expectationi satisfecit.  
Egit annum quadragesimum nonum, plantata enim est  
1630. d. 16. Mart. Folia non sine strepitu alia peperunt fo-  
lia, inter quæ successu temporis robustus, crassus, du-  
rus, longus prodiit caulis, cujus lateribus d. 1. Jun. qui  
erat tertia feria Pentecostes, adnasci inceperunt emi-  
nentia, quæ post natura formavit in ramusculos. D. 28.  
Jul. nacta est aloe flores flavò colore amictos; d. 30. Aug.  
desloruit. Caulis erat ferè undecim ulnarum longus,  
brachialis crassitudinis, ramusculi numerabantur 33. flo-  
res 4610.

§. 4. Aloe salizensis egit annum quinquagesi-  
mum quintum, cum floruerit, ea est plantata 1608. & 1663.  
d. 15. Maji protrudere incepit caulem, d. 10. Jun. osten-  
dere ramos, d. 14. Aug. flores usque ad 17. Octobr. Cau-  
lis fuit decem ulnas longus, justæ quoquè crassitudi-  
nis, facta est mater florum bis millium, quos 32. sustulit  
ramis. Si etiam horum florum numerum, quos unus-  
quisque ramulos gestavit, curioso Lector, scire cupis, te  
deducimus ad Alogen choræ salizianæ, ubi videre tibi  
licet.

§. 5. Substantiam succi aloe fusiùs exhibere  
non è re judicamus, cum nota satis. Plurimis uberiora  
circa substantiam desiderantem remittimus ad *Simonem*  
Ge.



*Genuensem com. in pandect. math. sylvatic. cap. 31.* ubi juxta  
varietatem sentiendi autorum plurium, quæ huc spe-  
ctant, proponuntur.

## CAP. VI recenset vires.

§. 1.

**D**E VIRTUTIBUS Aloes dum agere intendimus, benè re-  
cordamur, quantis diffidiis eruditorum sint involu-  
tæ, ac dubiæ redditæ, nec dum siquidem integrè decisa  
controversia, circa quæstionem quæ versatur, quomodo  
nempe Aloe æquè aperire & purgare, ac constringere &  
retinere queat. Pauca, quæ pagellarum angustia capit,  
adducere hæc vice conveniens maximè censemus.

§. 2. In **GENERE** virtutes ejus ita extollit *Munde-  
rerus in aloetar. marcost. cap. 10.* ut aloen vel solam suffi-  
cere debitò modò usurpatam spondeat, pro tuenda sa-  
nitate, ac plurimorum hominum vires, robur, incolu-  
mitatemque unicè jam olim tutatam esse, quorum æta-  
tem ad longos dies, liberiolem liberaliolemque proge-  
niem produxerit. Pergit porro, arcere omnis generis  
putredinem tam in vivis quàm in mortuis, humores ab  
omni corruptela vindicare, nihilque in homine vel vi-  
vere, vel degere permittere, nisi quod ad ejus salutem &  
vitam spectet.

§. 3. **SPECIALIEM** ejus efficaciam ac succurren-  
di vim in variis corporis partibus variisque harum læ-  
sionibus nullus fermè scriptorum linquit illaudatam.

§. 4. De evacuandi ac alvum subducendi vi, ut  
incipiamus.

§. 5. Expellit non tantum aloë feces & stercora  
teste



teste Galen. 6. *simpl. medicam. fac. de Aloe*, & Paulo Aegineta libr. 7. sed etiam bilem. Galen. 6. *de tuenda sanitate cap. 10.* bilem & pituitam, Mesue melancholiam, choleram & alios crassos humores vacuare dicunt. Si enim ʒj aloes aquæ calidæ admisceatur, & ita exhibeatur, expellit humores phlegmaticos, cholericos, melancholicos & alios peccantes.

§. 6. Hinc etiam in phlegmate, bile ac pituita laudat Gordonius tract. *de cons. vita humana cap. 17.* Virtutem hanc vacuatoriam esse tam validam, ut si succus solutus in pauca dosi aliis succis infundatur, statim placidam laxativam virtutem communicet, testatur Agricola *tr. de medic. rec. invent.*

§. 7. Partim aloes suâ virtute deterforiâ, quia amara est, partim totâ suâ substantiâ, quia habet innatam potestatem attrahendi, lenit alvum, sed leniter, inde etiam refertur inter medicamenta alvum leniter lenientia; Excessum autem in dosi hîc excipimus.

§. 8. Diximus aloes purgare debiliter, sed certô respectu (1) illota enim valentiùs purgat, ventriculum minus roborat. Elota minus purgat, magis confortat. (2) si in justa dosi exhibetur, vacuat leniter (3) si aliis admisceatur vacuantibus, vis ejus quoque augetur.

§. 9. *Aperitiva* aloes potentia vires purgandi reddit eminentiores. Vasa obstructa epatis, lienis, mesenterii, pancreatis reserat, & ita maximum in expellenda saburra humorum præbet emolumentum.

§. 10. An autem omnibus usus hujus sit concedendus ad evacuandum? de eo valdè dubitant ii, qui vim aperitivam tantam attribuunt, ut etiam fluxus sanguineus insequatur. Refert Rein. Solenand. *consil. 39. sect. 3.* quendam ob nimium aloes usum fluxu hæmorrhoidali

C

cor=



correptum fuisse. Similiter *Fallop. cap. 32. de facult. simpl. medic.* hæmorrhoidalia vasa obstructa non melius quàm aloë referari posse testatur. Imò *Fernel. libr. 5. m. m. c. 9.* omnis generis venas & arterias aperire asserit; & *Hoffman. loc. sep. citat.* recenset de sua ancilla, quod non aliò modò, quàm iterata dosi aloës, menses ipsi moveri poterint. Ob quas & consimiles rationes usus aloëticorum multis valdè suspectus factus, ut etiam hydropicis ac prægnantibus usum planè prohibeat *Montagnana cap. 5. de dos. medicam.*

§. II. Verùm facilè lis conciliari poterit, si distingua-  
tur inter usum & abusum, dosinque justam non crebriùs  
iteratam, & abundantiosem ac sæpiùs adhibitam; Dein  
inter aloë crudam ac lotam & præparatam, simulque  
corrigentibus munitam. Omnes hæ conditiones si ob-  
serventur, periculum fluxus sanguinei & jubens & utens  
evitare poterunt. Hinc rectè *Cardan. libr. de sanit. tuen-  
da cap. 45. Scaliger Exercit. 160. §. 3. Fernel. libr. 5. m. m.  
cap. 9.* nimium ejus usum aperire asserunt vasa. Ex acci-  
denti siquidem solùm sanguinem prolicere, cum per se  
aliàs ejus fluxum sistat, cum *Hoffman. l. c.* ac aliis asserere  
non dubitamus.

§. 12. De hac vi aperitiva aloës, ut & adstrictiva  
differit quoque *Manardus l. 9. epist. med. 5.* ubi contra Me-  
suen, qui ora venarum aperire vult, statuit, & ex mente  
Galenii probare conatur, habere quidem præter vim re-  
primendi ac adstringendi, quoque *Αεφορητικήν* seu  
discussoriam & resolutoriam, non autem adeò aperiti-  
vam, ut orificia venarum hiantia faciat. Discutere si-  
quidem & aperire differre longè in operando asserit,  
cum ex *Gal. 5. & 6. de simpl. facult.* notum, discutere me-  
diocriter calida, aperire validissima ad quartum gradum



calida. Et i. epist. i. ad Florian. Montinum, ubi in eandem invehitur Mesues sententiam, & ex accidenti solùm sedis venas aperire interdum firmum tenet, quatenus nempe excrementa acriora agentia ad loca hæmorrhoidalium vasorum pellat, quæ ob acredinem venas recludant. Fufius etiam hæc omnia explicat l. 9. epist. 5. ad Vinc. Capril. & 12. epist. 3. ad Petr. Carnicer.

§. 13. Vim purgantium electivam ac specificè ad unum vel alterum humorem directam qui agnoscunt, bili dicant primariò, pituitæ secundariò. Verùm quia electiva illa purgandi vis, ob rationes ex fundamentis circulatoriis præcipuè desumtas, à modernis parvi penditur, nec nos ita specificè bilem tangere censemus, ut alios humores, si inveniatur, intactos relinquat. Si enim evacuatio ab ea peragitur mediante fermentatione quâdam, vix possibile videtur, unum humorem fermentare posse sine reliquis in tota massa contentis. Si quoque Galeni sententia vera, dum dicit, primas vias ab omnibus humoribus liberare aloen, certè specificè ac solùm bilem non aggredietur,

§. 14. *Adstrictiva* potestas, quæ quoque satis potens constituitur, expectationi utentium satisfacit, & nunc attingenda. Hanc in consolidandis vulneribus & ulceribus multum valere, præcipuè si cùm squamma æris ac mastiche misceatur, præter medicos chirurgi norunt, uti ex *Aquapend. in pentateucho chir. Severino in med. effic.* ac aliis constat. Hinc agglutinandi vis magna à Dioscoride conceditur: Quidam cum *Jacob. de partibus* censent, extrorsum adhibitam aloen solùm adstringere, aperire introrsum. Ast introrsum quoque tales vires possidere per experientiam confirmant alii.

C 2

§. 15.



§. 15. Propter hanc vim adstrictivam, aperitivam  
vacuatoriam dubiam facere volunt quidam, judicantes,  
non posse esse in uno eodemque subjecto eodem tempo-  
re contrarias binas qualitates. Sed his respondet *Hoff-*  
*mann. l.c.* quod puerilis sit objectio, cum notum, quod  
rhabarbarum & alia, & purgent & adstringant, idque ob  
partium heterogeneitatem. Nec videtur aliquid incon-  
venientis sapere illa sententia, secundum quam aperire  
aloe dicitur juxta partem subtiliorem, adstringere juxta  
crassiorem. Facultas hæc quoque variat, prout aloe aut  
cruda, aut bene præparata in usum trahitur.

§. 16. Hanc ipsam ob facultatem adstringendi  
ventriculum singulariter *roborare* asserunt multi. *Me-*  
*sues* tamen præter hanc, occultam qualitatem & proprie-  
tatem adducit, quam *Hoffmannus* castigatione dignam  
opinionem censet. In elota potentioorem hanc confor-  
tationem esse plausibile. Sicuti præter *Dioscorid. ac Ga-*  
*len. 6. simpl. med. fac. it. c. 2. de comp. medic.* testes adstant  
*Aeginet. l. 7. c. 9. & Fallop. de simpl. med. purg. c. 27.*

§. 17. An aloes vis purgandi augeatur ob admix-  
tionem mellis? Apud antiquos magnam movit conten-  
tionis ferram; Negativam fovent sententiam *Serapio,*  
*Mesue de simpl. medicam. cap. 1. de Aloe; Avicenna libr. 2.*  
*cap. 7. de Aloe &* cum his alii, scribentes, aloen mixtam  
cum melle minus purgare, virtutem ejus minuere, con-  
turbare, non minorem excitare dolorem ventris, maxi-  
meque ventriculo nocere. Affirmativæ verò subscri-  
bunt sententiæ *Fuchs. in errat. medicorum errore 9. p. 13.*  
*Manardus libr. 1. epist. 1. Dioscor. libr. 3. de materia medica*  
*cap. 23. Mathiolus in Dioscor. libr. 3. cap. 23. Plin. libr. 27.*  
*cap. 4. asserentes, permixtionem mellis cum aloe cras-*  
*sos viscosos humores abstergere & abluere in tunicis sto-*  
*machi*



machi contentos. R̄. distinguendo (1) inter aloes & mellis dosin majorem & minorem. (2) inter aloen lotam & illotam (3) inter mel coctum & incoctum, illud magis solvit quàm hoc, testibus *Plinio & Dioscor. libr. 2. cap. 73.* μὲν ῥητῆνης τὴ καταπινομένη, ἢ ὕδατος, ἢ μέλιτος ἐφθού ἀναλειφθεῖται κοιλίαν λύει; *cum resina, aquaue aut cocto melle excerpta alvum pota solvit.* Devorantur pillulæ (aloes) cum melle decocto aut terebinthina resina ad purganda interiora, licet *Paulus ab Aegineta libr. 1. cap. 96.* πρὸς μέλιτος καὶ μελιπράτου *de melle & mulso p. m. 13.* dicat; ὁ μέλι ἐψόρνον μὲν γένη μάλλον, ἢ περὶ ὑπάρχει γαστέρος, μὴ ἐψόρνον δὲ ἀνάπαλιον, *mel coctum magis alit, quàm alvum subducit, incoctum contra;* & cum eo *Alexander Aphrodisæus sect. 2. problem. 66.* asserens, mel incoctum detergere, purgare, mundare & evacuare, coctum tantum alere (4) inter mel crudum & incrudum; hoc, non autem solum sumtum, sed cum aliis mistum, aliàs enim emaciat, facit nutritionem bonumquè colorem, movet urinam & magnoperè evacuat, juxta *Hippocr. de morb. & cum melli insit acredo quædam, quæ stimulat ventrem ad excretionem excernendorum, ut habet Galen. libr. 3. de aliment. cap. 38.* Crudum verò mel ventrem sufflat tussimquè excitat teste *Dioscor. l. c.*

§. 18. Adstrictivis viribus *exsiccatoria* adfoctantur, quas extollit *Serapio tr. de simpl. & antidot.* Et hâc ratione emaciatissimis corporibus non prodesse asserunt quidam. Imò eò ipso aloen senibus non concedit *Galen. l. 5. de sanit. tuenda.* Benè econtra pinguioribus ac phlegmaticis. Cum humectantibus tamen alterata non ex toto videtur illis corporibus prohibenda. Propter ipsam quoque vim siccativam putredini resistit & inter embammata ac condituras demortuorum, ut ingrediens principale assumitur. Quod in mumiis



ægyptiacis præcipuè cognosci potest. Condituram etiam cadaverum in secula, quam jactitavit *Bilsius anatomicus Roderami* antea degens, sal & aloen præcipuè, cum exsiccatione lenta in fornace perficere, curiosè inquirentibus ac cadavera condita intuentibus apparuit. Ob has ipsas virtutes in sanguinis sputo, conglutinatione vulnerum ac similibus affectibus suam præstat opellam. Vis hæc consolidandi tanta, ut etiam pedes avium fracti succo consolidentur. De omnibus virtutibus videndus etiam *Octav. Horatian. tract. ad Euporist. Victoriam & Euseb.*

§. 19. Specificè succurrere in extinguendis ac necandis lumbricis ac ascaridibus, cum aliis ostendit ex *Horat. Augen. in epist. Hoffm. l. sep. cit.* ubi sementinis præfert. In peste ac collyriis laudat *Garcias ab Horto.* Ulcera ani ac pudendorum specificè respicere, cum *Galens. meth. ult.* docent alii.

§. 20. Hæc quæ hactenus de viribus monuimus, non de integra planta ac foliis, sed de succo intelligenda veniunt. Tota siquidem foliorum substantia rarè in usum venit internum; externè autem in consolidandis, mundificandis, à putredine ac gangræna præservandis vulneribus, singulariter inservit.

§. 21. Est autem succus nihil aliud, quàm extractum seu expressus humor, tam ex foliis quàm ex floribus aloes herbæ, proveniens partim à suo innatitio humore, partim à materia rorifica, decoquitur ad ignem, soli exponitur, siccatur, pellibus includitur, & ita ad nos defertur. Sicut cum aliis describit *Vital. de Furno tr. de remed. divers. ad morb. divers. c. 14.*

§. 22. Quando quærun quidam, an melior succus ex foliis, an floribus collectus? Existimamus, delicatioribus succum florum, si haberi potest, tutiùs convenire. Validiores & magis fixas qualitates succo plantæ inesse censemus.

§. 23.



§. 23. Cum ex antecedentibus notum, tres species succi aloes ad nos ab exteris mitti, meritò de optima eligenda cum multis autoribus sumus solliciti. *Succotrina* ab omnibus palma porrigitur, præcipuè si internè utenda, temperatissimæ. *Sylvio* 1. *de nat. medic. simpl. dictæ.* *Epatica* ab analogia coloris cum epatis colore juxta *Dioscorid.* dicta viribus suis quoque non destituitur, & benè si præparata sit, interdum æqualem fermè potestatem ac prior ostendit, externè præcipuè conducibilis. *Caballina* ultima ac abjectissima mulomedicis ac veterinariis ad usum reservanda.

§. 24. *In modo seligendi* quoque cautela opus. Communi omnium voluntate eâ aloë succotrina præ aliis valet, quæ juxta *Dioscorid. Oribas, Sardinian. l. 2. de virt. simpl.* ac plures alios 1. *Non adeò ponderosa, sed mediocri levitate prædita.* Alias metendum, ne variæ impuritates insint. Hanc levitatem præcipuè succoterinam habere *Manard. Garz. ab Hort.* ac alii docent. Inde quoque triplò quadruplò interdum majori venditur pretio. 2. *Calor* requiritur cum flavedine rubescens, resplendens, pellucidus. Nigricantem jam adultiorem esse vult *Mesue.* 3. *Sapor* amarus esse debet non diu tamen linguam feriens, subdulcem esse vult. *cit. Mesues,* quod de epatica ex parte verum esse dicit *Hoffm. l. c.* 4. *Odor* aromaticus, validus, subamarus requiritur, juxta *Fallop.* myrrhæ odori similis, qualem succotrina recens præcipuè exhibet. 5. *Friabilitatem* facilem *Diosc.* adponit ut notam optimæ aloes.

§. 25. *Modus preparandi* primarius duplex. *Unus per elotionem* fit. Hæc communiter fit, si aloë grossè contusa aquâ simplici eluitur, ad sordes tollendas & calorem nimium, ventriculum ac alia viscera aliàs laceffentem reprimendum. Prudentiores pharmacopæi prima  
vice



vice aquam simplicem, sequentibus appropriatas epaticas ac infrigidantes affundunt, uti & fusius docet *Plazar. de medic. simplic.* Alter præparandi modus per nutritionem ac insuccationem fieri dicitur. Quando nempe contusæ aloe succi appropriati Epatici placidè infrigidantes ac roborantes instillantur successivè, sicque de vi horum aloe participat.

§. 26. *Corrigendi* vim specialem in sir. ac succo rosarum, violarum, fl. epaticæ, cichorii ac similibus prædicant multi, ut ex compositione pilularum aloeticarum Aquapendentis & Beieri Medici Francofurtensis apparet.

§. 27. De MEDICAMENTIS aloeticis ac variis compositionibus, quorum basis quasi aloe, plura dici possunt quàm describi. Nemini siquidem, qui vel primis labris artem Apollineam exosculavit, ignotum erit, quàm innumera medicamenta aloem recipiant. *Desis* variat. Ad iij drachmas autem adhibere uti in colica facit *Aëtius tetrab. 3. serm. 1.* nolumus. Compositiones cum aloe generales, omnibus notæ ex libris ac communicatione, speciales unusquisquè si reservat. Reservamus & nos hoc ipso uberiora ad occasionem uberiolem ac tempus commodius, ad citatos autores B. L. plura desiderantem remittentes: jam rivulos claudentes

§. 28. Deo Ter. Opt. Max. devotas agimus gratias, quod nostros labores felici benignoque successu fortunare voluerit; Eum supplices veneramur & precamur, ut porrò nostra dirigat studia, quò cedant in sui divini Nominis gloriam, parentum gaudium, patriæ proximique emolumentum.

¶ (o) ¶

Nunc



**N**unc aloen nobis sistis, BEIE-  
RE, legendam,  
Quam nuper vidit maxima  
turba hominum.

Dignus laude labor pariet tibi no-  
men & inter

Doctos Te ponet. Fiat id, ipse  
precor.

Sebastianus Nieman/ D.

P.P. & Superint.

*Præ-eximio*

**D N. BEIERO**

de egregiis in studio medico progressibus  
gratulatur, &

**EUGE!**

*more veterum acclamat*

**GUERNERUS ROLFINCIUS**

D. P. P. Academiae Senior.

**Q**uæ te permovet ratio,  
BEIERE, cathedram

scandere? **DISCENDI VIS SO-**

**LIDA INGENII.**

**D**

**Flos**



Flos Juvenum, BEIER, flores  
& amoena vireta  
dum Tu perlustras herbas de  
cespite vellens  
in hortis, Tibi sola placet  
nunc Aloe rara.

Quare jam tractas plantam,  
quæ pectore toto  
mira placet. Meritò Tibi nunc  
ego grator & opto,  
ut Tu ceu plantæ florescas at-  
que virescas.

*ita animitus adpre-  
catur*

PRÆSES.

VIRO-



VIRO - JUVENI

*Per - Eximio atq; Politissimo,*

D N. GOTTFRIEDO BEIERO,

Medicinæ sub illustribus Doctoribus operam  
navanti & assiduam & felicissimam,

*Theologi Venerandi,*

deq;

Alma Salana non scriptis minùs, quàm sacris sermonibus  
per annos plurimos optimè meriti

F I L I O,

Amico & Fautori meo honorando,

*cum*

A L O E N

*eruditio à se curis illustratam,  
publici juris faceret,*

S.

\* \* \*

U T videt Aoniis ALOEN Cyr-  
rhæus in hortis,  
Ridet, & hanc lauri fronde te-  
gamus, ait.

*Lmç. f.*

GEORG. GOEZIUS,

Moral. P. P.

SAT.



SAT. ET. ALOES. ET. MELLIS.

**U**T *pedatores* ALOE sibi *nuper* habebat:  
Sic ALOEN *cupiet* JENA *videre* TUAM!  
MERITISSIMI PARENTIS,

*CUE*

VENERANDO SENIORI

FELICISSIMA FATA

COMPRECOR

FILIO ALIQUANDO MERITURO

PRÆCLARE,

FAUTORI *AMICISSIMO,*

DE

EGREGIO AUSU

GRATULOR

M. JO. FRID. NICOLAI,

Fac. Phil. Adjunctus.

---

VIRO - JUVENI

*Præ-eximio & clarè-docto*

**DN. BEIERO**

Artis Medicæ cultori felicissimo

*fautori suo inter selectiores estimatissimo*

*χαίρειν*

**N**obile scrutaris Germen, BEIERE colende,  
Quod vocitant ALOEN: Nobile Germen eris.

**E**st artis specimen rarum, quod mittis in orbem:

Tam cultum gignit nil mediocrè solum.

*Ἐπιφάνεια ἔνεκα*

*f.*

M. Fridericus Madewifius.

**F I N I S.**












ULB Halle | 3  
005 360 773  


Wort









Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DEO  
& incrementum dante,  
CONSENSU  
& gratiosi Senatus  
sclepiadei

29.  
1670, 18  
23

PRÆSIDIO  
VIRI  
ulentissimi atq; Experientissimi  
ANNIS ARNOLDI  
Phil. ac Medic. Docto-  
urgiae ac Botanices P. P. celebra-  
fecti, Medici Provincialis Saxo-Al-  
ssimi, ac p. t. Facultatis suae De-  
ani spectatissimi,  
ris, Patroni ac Promotoris sui  
vum venerandi,

O E N

flora cultorum censura  
exponit  
REDUS Beier / Jenensis,  
A U T O R.  
Mart. M. DC. LXX.  
torio Medicorum.

JENÆ,  
HANNIS WERTHERI.